

## DE LEMMATUM FORMA, SCHEMATE, STRUCTURA

Lexicon nostrum — ut iam e prooemio patet — plenum est; omnes nempe complectitur voces, quae in schedularum copia et apparatu occurunt, ergo etiam ἄπαξ λεγόμενα et cuncta nomina propria, tam personarum quam locorum. Item universi cuiusque vocis sensus notantur, etiam si rari sunt vel immo singulares.

Voces titulares in lemmatum capitibus ad receptam rediguntur Lemmatum tituli normam.

*De orthographiae norma.* Ratio scribendi in cyrillici alphabeti litterarum copia, monumentis palaeoslovenicis, quae canonica dicuntur, propria, sita est. Cunctis ergo utimur litteris, quae ad phoneticam linguae speciem accuratius illustrandam aliquid prodesse possunt (e. g. *s*, litteris vocalium iotizatis, sim.); si autem duae vel plures litterae — secundum adhuc receptam et vulgatam phoneticae palaeoslovenicae interpretationem — pro aequivalentibus habentur, unicum et constans signum eligimus et usurpamus (*и - і*, *ы - ѿ*, *о - ѿ* etc.). Insuper classicam atque „idealem“ linguae palaeoslovenicae phoneticam sequimur formam, quae vix ubique cum antiquissima forma attestata congruit. Quapropter distinguitur inter *е* et *ю*, *ќ* et *и*, non vero inter *ќ* et *ы*, *ќ* et *и* et sim. In lemmatum capitibus hisce ergo utimur litteris: *а*, *е*, *и*, *р*, *а*, *е*, *ж*, *с*, *з*, *и*, *к*, *л*, *м*, *н*, *о*, *п*, *р*, *с*, *т*, *ѹ*, *ф*, *х*, *ѱ*, *и*, *ч*, *ш*, *ы*, *и*, *ќ*, *ю*, *и*, *е*, *л*, *ж*, *и*, *к*, *ѱ*, *ѱ*, *ѹ*, *ф*, *в*. — Ad singulos sonos litterasque adnotaciones: Littera *г*, cum in quibusdam manuscriptis munere *г* velare laris consonae nasalis (*г*) fungatur, quod ad fidem graecae fit orthographiae, redditur a nobis per *и* (ἀγγελъ, ἀγκύρα, non ἀγγελъ, ἀγκύρα). In vocum initii ponitur *и* (јединъ, јеленъ), quisquis sit scribae monumenti scribendi modus; *е*, *ю* solummodo in mutuatis vocibus *е*- conservatur (евангелие, епископъ), insuperque in hisce vocibus indigenis: *еда*, *ен*, *есе*, *етеръ*. In medio autem vocum et in fine *и* ponitur, si vocalis praecedit vel *н*, *т*, *л* palatalia (ѧние, ѧниеніе, сѧткориеніе, вѧжлюблениы). Littera *с* ubique servatur, ubi iure suo etymologico probatur, non vero aliis locis (*стло*, *сткъда*, *стка*, non autem *стла*, *стли*, *сткъ*).<sup>1</sup> Vocalis *и* unica nota и exprimitur; inter *i* et *ji* et *ji* nullum ponitur discrimen (стронти, мон). *и* glagoliticum (*и*) redditur per *г* (генона); huius soni natura palatalis (*г*) apice diacritico designatur (*ѓ*), non littera sequenti iotizada. *ѓ*, *ќ* Eodem modo etiam *к* palatale tractatur (кесаръ). E contrario soni *н*, *т*, *л* palatales per sequentem litteram iotizatam exprimuntur, quandocumque taliter scribendi datur copia (сѧблажнити, мօрje, кօлт...); si autem sequuntur vocales и vel *к*, consonarum indoles palatalis apice notatur ut supra (ника, коњк). Vocalis *о* unico semper charactere о scribitur, nulla scribarum moris vel orthographiae graecae ratione habita (онъ, отъ, отъцъ, антитифонъ); sola interiectio *ѡ* propria exaratur littera. Similiter pro *ѹ*, *Ѡ* et (in monumentis russico-sla- оѹ, *Ѡ*, *Ѡ*

<sup>1</sup> Z, ζ graecum nonnisi ut з appareat (τραпеза) — secundum seram huius consonae post-classicam pronuntiationem.

φ - ♦ vonicis) γ unicum ponitur ογ. Litterae φ et ♦ ad fidem linguae originalis vocabulorum mutuatorum distinguuntur: pro *f-ph-φ* ponitur φ, pro *th-θ* vero ♦. Si formae slavizatae cum *p, t* sunt attestatae (ut *пилипъ, тома*), tum etiam in lemmatum capitibus observantur. Si autem in textibus utraque occurrit forma, scriptio per φ ♦ formis cum η τ plerumque praefertur, vel saltem voces eo modo scriptae primo afferuntur loco, quod vocem ordini alphabetico inserit (quandoque enim binae in capite lemmatis vocis apparent formae, si textus vacillantes scribendi praebent inconstantiam). Solummodo si vocabulum nonnisi „falsa“ a scribis traditur orthographia, etiam in lemmatum capitibus hic specialis scribendi modus conservatur (αγιντεпинъ, αгинфкнъ նախնմաօց). Littera ψ constanter adhibetur, dum ψ nullibi in titulis locum habet (свѧтца, ноци, очищение). Sonus velaris γ semper redditur per γ. κ et ι non confunduntur (πολαςъ, κ, ι, α- λέκто). Sonum et litteram ι in sequentium vocum initii reperies: παρο, παρα, παρинна, παρ-ιαχати, πазда, πако, πама, πможе, πмы-ιасти, πаркмъ, πаръ, πару, πали, πаскинъ, πатъ et in vocabulis ab eis derivatis; aliis locis forma α- praefertur (αкити, αгодад). De ε initiali vide supra sub ε. α et ι initialia ad unum ια rediguntur (ιαζыкъ); ογ et ιο neenon κ et ικ secundum vocis etymologiam inter se distinguntur. Litterae γ et ψ in vocibus graecae vel latinae originis suis locis consequenter servantur, quisquis sit in ipsis textibus scribendi modus, modo γ absit in hisce consonarum globis ier secundarium. Graecum ν (ν ψιλόν) syllabicum per varias in palaeoslovenicis textibus substituitur litteras, et quidem ν, ογ, ιο, η. Ubicumque scriptio per ν (iżica) testmoniis probatur, penetrat etiam in lemmatum capita; alibi servatur monumentorum orthographia. Si autem littera ν in voce quadam textibus non probatur insuperque scribae variis eam substituunt notis atque inter se differunt, tum in lemmatum capitibus ιο attestatum attestato η praefertur, ογ vero ambabus litteris, ιο scilicet et η, praeponitur. Pro graeco ν = γ (latino u, si velut altera diphthongorum pars appareat) slavicum κ ponere solemus, si huiusmodi scriptio textibus probatur (свѧтелие, αγълоустъ); sin minus, attestatam litteram γ eius loco usurpamus (αγрилииинъ). — E permultis apicibus, quibus litterae supra ornantur et quibus praesertim recentiora abundant monumenta, solus arculus ille supra dictus adhibetur ad sonorum naturam palatalem exprimendam (ή, β, ά, γ, κ) neenon sic dictus titulus, i. e. signum quoddam transversum super litteras, quae munere notarum arithmeticarum (cifrarum) funguntur.

**Apices** — E permultis apicibus, quibus litterae supra ornantur et quibus praesertim recentiora abundant monumenta, solus arculus ille supra dictus adhibetur ad sonorum naturam palatalem exprimendam (ή, β, ά, γ, κ) neenon sic dictus titulus, i. e. signum quoddam transversum super litteras, quae munere notarum arithmeticarum (cifrarum) funguntur.

**Norma phonologica** *De phonologiae norma.* Etiam phonologia vocum titularium in lemmatum capitibus ad „idealem“, quae canonica dicitur, linguae palaeoslovenicae redigitur normam. Soni dicti „ier“ et vocales nasales suis semper ponuntur locis et secundum originem bene distinguuntur, scilicet κ et ι, α, ια et ικ, ικ. Pro protoslavicis globis \*t<sub>l</sub>, \*d<sub>l</sub>, \*kt (\*gt) bulgarica eorum ponuntur substituentia, i. e. ψ, жд. Loco plenisonii (polnoglasije), e. g. κօրօтα, e textibus russico-slavonicis, aequo atque anomalarum formarum palaeoslovenicarum (velut зօлътօ), normales ponuntur formae trat, tlat, trēt, tlēt. Similiter etiam alii huiusmodi casus tractantur. — Ier durum et molle, quae „tensa“ dicuntur, scribuntur ut γ et η, ν. g. дօбръшъ, вънинжъ, ление, житие. Dura et mollia γ, η et τ, ι sonantia haud distinguuntur; legitur ergo in lemmatum capitibus τρъгъ, длъгъ aequo ac κρъхъ, κлъкъ. Diligenter autem vocalium κ et ι discrimen servatur, si veris consonis r, l liberius adiunguntur, e. g. κръкъ, πλътъ, sed κъскъръснжти, сльза. — Voces mutuatae (peregrinae) ad nullam phonologicam rediguntur normam; ad unitatem quandam tantum reducuntur orthographicam, de quibus rebus supra plura diximus. Vocales κ et ι anaptycticae (secundariae, non etymologicae) conservantur prout in ipsis monumentis locum habent (πъсалъмъ). Talia autem phaeno-

θ, ι, ε, ο  
 \*t<sub>l</sub>, \*d<sub>l</sub>, \*kt  
 tort ...

γ, ι  
 τ, ι; τ, ι

Voces peregrinae

Soni κ, ι anetymologici

mena, quae ad slavicam spectant evolutionem et quae etiam in indigenis vocibus normae subdita sunt, ne in peregrinis vocibus quidem regulas illas evadere queunt, e.g. si nasalium vel vocalium *и* et *е* mutationes aguntur: *Држава*, *Кинесъ*, non forte *Дрѹгари*, *Киносъ*. Immo vero vocum abnormiter et propemodum mendose ab aliis linguis acceptarum forma phonologica nullis tangitur regulis, neque ad fictivam et „idealem“ quandam speciem reducuntur (*акрадъ* *Архадиос* – non \**аркадъ*), exceptis tantum vocabulis penitus mutilatis, quae in lemmatum capitibus reconstructa sub forma apparent et asterisco anteposito notantur. – Iste procedendi modus in vocibus peregrinis tractandis primo aspectu satis complicatus ac difficilis videtur esse, quem autem simpliciorem reddere vix possumus sine periculo ne permulta vocum mere artefactae formae creentur, etiamsi earum reconstructio experientia fulciatur.<sup>2</sup> Oritur equidem varietas, sed multae relegationes rem faciliorem ad perspicendum reddent: qui vocem ab aliena lingua receptam sub forma, quae in monumentis occurrat, quaesierit, non poterit eam non invenire.

*De formarum grammaticarum in lemmatum capitibus normis.* Nomina (substantiva, adiectiva, pronomina, numeralia) in singularis numeri nominativo afferuntur; si nomen secundum genus grammaticum mutatur, nominativo singularis masculini generis inducitur. Nomina pluralia tantum in nominativo pluralis ponuntur, similiterque dualia tantum *дъка* et *ефа* in nominativo dualis. Ab hac regula nonnisi pronomen personale 3. personae, scil. *и*, et eiusdem personae pronomen reflexivum *са* recedunt, quae in lemmatis capite in accusativo singularis afferuntur, quia nominativi formae in lingua palaeoslovenica haud exstabant. (Pronominis *и* nominativus idem esset atque accusativus [*и*], asterisco autem, tamquam inattestatus, esset ornandus.) Primae et secundae personae pronomina personalia trina praebent in utraque persona lemmata secundum trinum numerum grammaticum: *азъ – мы – въкъ, ты – въи – въа*. — Nominum adiectivorum forma nominalis primo loco affertur, sive sit attestata sive non sit; cui forma ad mixtam pertinens declinationem sequitur, si in fontibus occurrit (non ergo v. g. in adiectivis possessivis). — Verba sub infinitivi forma afferuntur. Variae verborum secundum actionem grammaticam (vid) formae suo unaquaque loco inveniuntur, etiamsi quoad sensum generalem utrumque verbum congruit (*акити* et *аклити*). Verba reflexiva sub unius lemmatis tecto cum suis non reflexivis collocantur, si discrimin inter reflexivum et simplex ad grammaticam potius pertinet (i. e. ad genus verbi), quam ad significationem; ubi vero utriusque verbi sensus, simplicis scilicet et reflexivi, longius iam differunt, verbum reflexivum proprio explanatur lemmate. Pronomen reflexivum *са* a verbo suo graphicse separatur, quisquis sit hac in re textibus editionibusque scribendi modus (manuscripta plerumque scriptioem praebent continuam). — Adverbiorum diversum in modum exeuntium unumquodque alphabetico suo loco ponitur (velut *добро* et *добрѣ*). Adiectivorum adverbiorumque gradus comparativus sub positivi forma semper affertur; ubi autem comparativus ad aliam pertinet radicem (*колини*, *оуини*, *влаще*), relegatur suo loco ad positivum (v. *величи*, v. *добрѣ*, v. *мѣного*). — Voces negativo praefixo munitae propriis explanantur lemmatibus (*незълоба*, *немѣрънъ*, *немѣногъ*, *непыщевати*, *никаможе*), nisi forte simplex verbi cum negativa particula agitur coniunctio (*не имѣти*). — Vocaliborum formae neutrales, i. e. nominativus et infinitivus, in lemmatum capitibus semper restituuntur, tametsi saepe in textibus non occurunt. Si in tali recon-

Norma formarum  
grammaticarum  
Subst.

Adj.

Verbum

Adv.

Comparativus

Negatio

Formae neutrales  
non attestatae

<sup>2</sup> Eius modi reconstructionem vel potius normalizationem in illis rarissimis casibus admisimus, ubi ob diversam orthographiam voces eiusdem familiae longiore spatio ordinis alphabetici separarentur.

- Numerorum notae** structione aliquid dubii et incerti emerget, brevicula nota adiuncta lector de hac re monebitur. Si forte acciderit ut adiectivum vel adverbium in comparativi tantum forma sit attestatum, positivus exspectandus saltem ut relegativum vocabulum alphabetico suo loco afferetur. — Etiam numerorum notae („cifrae“), quae palaeoslovenicis in monumentis per alphabeti litteris exprimuntur, propriis lemmatibus explanantur; quae lemmata sub singulis litteris simplicibus ordinem intrant alphabeticum, ut exemplum afferamus, cyrillicum ѣ (12) sub є et і invenies. In hisce casibus, nimurum, etiam illae ius habent litterae, quae alias in communi orthographiae norma non occurunt (e. g. 1); graeco-cyrillicum episemon Ҁ (qoppa, 90) in ordine alphabetico inter litteras п и р ponitur. De numerorum notarum translitteratione vide pag. LIXsq. — Scribendi compendia (abbreviations), quibus monumenta abundant, in lemmatum capitibus tacite solvuntur. In aliis vero adaptationibus, ad quas nos passim et raro tantum singulorum vocabulorum propria natura cogebat, talem eligere studemus modum, quo lectoris quaerentis labor et ambages minuantur; insuper tales adaptations brevibus saltem notis explicantibus munivimus.
- Scribendi compendia**
- Voces homonymae** Voces homonymae in lemmatum capitibus pusilla numerica nota arabica super lineam vocabulo postposita denotantur (v. g. градъ<sup>1</sup>, civitas', ,murus', ,hortus' — градъ<sup>2</sup>, grando').
- Flexio** Quomodo flexio grammatica et orationis partes designentur. Summa lemmatum capita vocabulorum flexibilium (i. e. nominativum singularis vel infinitivum) terminaciones eorum grammaticae sequuntur, e quibus declinationis vel coniugationis schema eluet; in nominibus substantivis (etiam numeralibus substantivis) genetivi exitus hoc munere fungitur (влкъ, -а; патъ, -и), in nonnullis autem pronominibus et numeralibus variae secundum genus grammaticum terminaciones (иже, тже, ёже; трие, три f. n.), deinde ad adiectiva exitus nominativi singularis masculini mixtae q. d. declinationis (добръ, -ыи), denique in verbis 1. et 2. pers. terminaciones (кести, кедж, кедеши) afferuntur. Rarissimis nominibus, quae declinari nequeunt, notula indecl. subiungitur (испльнъ indecl. adj.). — Post haec denotatur, quaenam unaquaque vox sit orationis pars. Nomina substantiva generis siglis adiunctis (m., f., n.) satis declarantur, apud pluralia tantum accedit insuper pl. Verba per notulas pf. vel ipf. (q. e. verbum perfectivum vel imperfectivum) secundum actionem grammaticam (vid) designantur. Ceteris orationis partibus directe propria compendia apponuntur: adj., pron., num., adv., praep., conj., part. (particula), interj. Pronomina, adverbia, coniunctiones, particulae accuratius plerumque insuper denotantur (velut pron. pers., adv. loci, conj. copul.), quod specialibus in casibus etiam in adiectivis et numeralibus fieri solet (adj. poss., num. ord.). Si praepositio unum tantum regit casum, tum hic etiam de hac re fit mentio (v. g. кез praep. c. gen.); sin minus, tales adnotationes inferius primum, in lemmatum singulis paragraphis secundum vim et sensum digestis subiunguntur. Litterae vim arithmeticam habentes velut numeri notae declarantur et titulo, i. e. transverso apice superposito, ornantur (Ѣ numeri nota).
- Partes orationis**
- Adnotationes grammaticae et sim.** Sub lemmatum capitibus adnotationes collocantur, si opus est, quae lectorem de variis vocabuli formis doceant. Aliae referunt, in quibus monumentis vox illa titularis vigeat, vel etiam phaenomena aliqua grammatica maioris ponderis pertractant (v. g. иғемонъ, ғемонъ: „forma ғемонъ occurrit in Zogr et Sav“ — градъ<sup>2</sup>: „occurrit in Sin Hval Euch Supr“ — ӡыкадти: „impf. ӡыкадхъ//зокхакъ“ et sim.).
- Quomodo lemmata secundum singulas vocum significationes designantur. Structura lemmatum secundum vocum significationes lexici nostri

redactoribus maximi esse momenti videbatur. Cum enim fere mechanicum quendam et, ut ita dicamus, coloris expertem significationum ordinem evadere studebamus, tum etiam lemmata per nimiam et logicam magis quam linguisticam divisionem inepte diducere et quasi comminuere noluimus. Quam ob rem in distinctis singulis vobis sensibus aliquod maius et conclusius totum spectamus et minores diversos significationum colores et umbras in unum apte, quantum possumus, conglobamus. Colores illos, ut ita dicamus, et umbras significationum interdum data occasione adiuncta notula accuratius depingimus et declaramus: spec. (significatio specialis), fig. (figurative), term. techn. (terminus technicus), cetera. Significationes in paragraphos coactos numeri praecedunt arabici; ad minores significationum umbras distinguendas minusculae litterae alphabeti latini, signa ♦ et — necnon subdivisiones adhibentur. Quomodo in significationibus ordine digerendis procedatur, vide supra in prooemio (§ 8 f). Singulis vocibus earumque significationum apparatu propriae et variae inhaerent quaestiones, quarum solidam et liberam pertractationem fixo et rigido quodam schemate, teste experientia, non est impedienda.

**D e versione et interpretatione.** Vobis sensus lingua bohemica interpretantur, dein russica et germanica. Quae versiones sensum vocis e textu continuo deponunt, nulla ratione parallelorum archetypi vocabulorum habita. Sensum quam accuratissime unica voce linguarum vernacularum exprimere studemus, si vero opus est, apta brevique periphrasi vel per aliquot voces synonyms. Abundantiorum synonymorum copiam in illis haud crebris afferimus casibus, ubi linguae nationali nulla inest vox vere ac plene idem valens quod vox titularis palaeoslovenica; quae cum ita sint, opulentior copia synonymorum, ad sensum vocis palaeoslovenicae proxime accendentium, lectorem veram vocis speciem ac significationem probe intelligere quaerentem iuvabit (e. g. in vocabulo *кезаконъникъ* bohemice et germanice interpretando). Deinde post reticentiae signum (—) parallelae voces graecae et latinae ponuntur ex archetypis originalibus aut e veteribus versionibus parallelis deponptae; si vox palaeoslovenica in aliquo perpaucorum textuum legitur, qui ex archetypis palaeotiudiscis dialecti superioris originem duxerunt, tum etiam palaeotiudisca (superior) accedit parallela. Cum vocabulum vel aliqua eius significatio in illis tantum legitur monumentis, quibus nullus praesto sit parallelus textus graecus, tum ne vox quidem parallela graeca in lexico affertur. In casibus speciali mentione dignis, ubi originali graeco caremus textu atque vocis palaeoslovenicae versio graeca tamen utilis videtur esse et probe est nota (quod e. g. in terminis technicis liturgicis fieri solet), sensum illum graecum speciali nota afferre malumus. Patet ergo parallelam graecam, vocis versionem germanicam proxime sequentem semper textibus graecis esse attestatam. Quam parallelam nulla tangimus lima, etiamsi cum voce palaeoslovenica exacte non congruit. Idem valet de parallelis palaeotiudiscis (dialecti superioris), non autem de latinis. Si vocem latinam e textibus parallelis (latinis) haurire non possumus, vices eius nostra excipit versio latina; si vero parallela latina ex originalibus hausta adest, attamen minus accurata vel recta, tum insuper accedit illa nostra versio latina. Quod discrimen variis typis significatur: voces parallelae textibus exemptae „antiquis“, ut aiunt, i. e. rectis litteris sunt expressae, versiones nostrae autem litteris *inclinatis* (cursiva). Sensus ergo latinus accuratus semper affertur. — Parallelas nimis speciales vel mutilatas tam graecas quam latinas, inferius demum contextui palaeoslovenico citato alligamus. — Graecam linguam et latinam nostris temporibus communiter recepta scribimus orthographia, quisquis sit editionibus, quibus usi sumus, scribendi modus.

Spec., fig., term. techn.

1. 2.

a) b)

♦, —

Significationum  
ordo

In linguas vernaculae versiones

Voces parallelae  
graecae, latinae,  
palaeotiudiscae  
(dial. sup.)

Versio latina

## Explicatio realis

Quamquam lexicon nostrum linguisticam suam naturam atque indolem negare non vult, tamen in nominibus propriis et terminis realibus antiquitatis necnon in terminis technicis explanandis explicationem etiam brevissimam realem offert. In huiusmodi explicationibus praesertim ad talia spectamus, quae facultatem dent personas vel res bene distinguendi,<sup>3</sup> ut lector ita instructus in encyclopaediis aliisque fontibus specialibus copiosiorem haurire possit doctrinam. Cum autem ne in operibus specialibus quidem, quae communiter non admodum difficultia sint accessu, vis alicuius rei aut non illustratur, aut tali solum modo, qui sufficere non possit, explanationem damus uberiorem; quod etiam tum fit, si e. g. homo quidam solis nostris fontibus innotescit (nonnulla nomina personarum in codice Suprasliensi) vel si quae vox nullibi adhuc est explicata (v. g. οὐκέτα).

## Iunctiones phraseologicae

Si duae vel plures voces ad unum iunguntur sensum exprimendum, tum talium globorum interpretatio illi iungitur voci, in qua significationis vis latet et nucleus, dum sub reliquis talis iuncturae membris ad illud vocabulum sensu praegnans fit relegatio; ita e. g. εκρά μάτι sub εκρά explicatur et sub μάτι ad εκρά relegatur.

## Documenta electa

De locis documentationis causa in lexico citatis. Unaquaeque significatio documentis e textibus depromptis illustratur; quorum numerum utilitatem ac lexici nostri finem respicientes statuimus. Tot ergo documenta et talia eligimus, ut ex eis proba significationis notio veraque rei imago eluceat, dein ut et vocabuli in variorum temporum, locorum diversaeque indolis monumentis crebritas patefiat, denique, ut peculiaria elementa phraseologica, syntactica et gravissima vel curiosa phaenomena morphologica demonstrentur, raro etiam singulares phonologicae vel graphicae formae (e. g. scriptio αερελъ seu litterae χ forma dicta „arachnoidea“ — §). Documentorum allatorum numerus imaginem quandam titularis vocabuli frequentiae praebet, quod autem nequaquam in omnibus casibus valet. Saepe enim creberrima potissimum vocabula, velut и, же, боягъ, ангелъ, отъцъ, глаголати et similia, adeo stricto onerantur sensu, ut fere unicam praebent significationem et praeterea tam quoad locum quam quoad tempus plane indifferentia sunt; ubi relative mediocris documentorum numerus spem ac finem lexici nostri bene explebit neque copiosior locorum citatorum accumulatio ulli esset lectoris usui. E contra, in vocibus raro occurribus (ad 10 circiter vel 15 exceptionis schedas) utile censuimus fore, ut modica numero documenta universa typis mandaremus. In tali casu ad lemmatis calcem adnotatio Exh. (q. e. exhaustum) adiungitur. Si hac plenitudine una tantum vocis gaudet significatio, tum in paragraphi illius fine legitur adscriptio In hoc sensu exh. Loci obscuri, difficiles, mutilati, mendosi in documentorum apparatu semper citantur, cum lexicon talia quoque solvere debeat et in his potissimum casibus consulendus sit. Patet talium locorum interpretationem saepe subiectivam esse atque contentionibus vix semper imponere finem. Tales loci claris plerumque et perspicuis postponuntur documentis.

Documenta citata ita e textibus eximuntur, ne sensu careant et ut omnia prae se ferant, quae vocis titularis sensui illustrando conditionibusque eius syntacticis manifestandis prodesse possint. Loci citati nullo modo adaptantur et plerumque non breviantur; ibi tantum aliquid praetermittimus, ubi necesse censemus voces aliquas esse afferendas, quae a vocabulo titulari longiore inutilis textus spatio interiacente distent. Huiusmodi omissio tribus inspersis punctis

<sup>3</sup> E. g. ad nomina sanctorum dies, qua memoria eorum recolitur, ad nomina locorum situs eorum geographicus et sim.

(...) denotatur; quod signum a duobus tantum punctis (..), quibus ipsorum signantur lacunae monumentorum, attente discernatur. Ordo locorum citatorum monumentorum seriem, hic pag. LXII—LXX allatam, sequi solet, salvis tamen haud raris exceptionibus; series documentorum saepe vertitur, si e. g. a peculiari quadam significatione ad alteram, sequenti paragrapho inclusam, progredimur et talis processus ordinis exigit mutationem. Monumenta siglorum (compendiorum) ope citantur (v. pag. LXXI—LXXIII). Libros biblicos secundum receptam eorum citamus divisionem (e. g. Mt 6, 5), cetera dein monumenta secundum manuscripti folium lineamque. Folia recta per latinam litteram *a* denotantur, folia autem versa per litteram *b*. Si manuscripti folium plures continent columnas, tum uniuscuiusque paginae columnae graecis litteris designantur (*α*, *β*).<sup>4</sup> In paucis tantum casibus, ubi ne imagines quidem photographicae praesto erant neque manuscripti folia et paginae ex editione patebant, afferimus documenta secundum paginam lineamque editionis (in aliquibus sanctorum Vitis et in codice Supraslien- si). Sequitur, ut, si in citatione littera latina *a* vel *b* cifrae adhaereat, monumen- tum secundum manuscripti folia citetur, sin minus, citatio secundum editionis paginas fiat; exempla: Euch 14a 7, As 44a $\beta$  12, sed Supr 204, 9. Cum Šišatovacensis Apostolarii kalendarium in Miklošičii editione in continuo afferatur, loci hinc citati nonnisi per Šiš kalend. notantur; documenta enim facilius secundum men- sem diemque (qui semper ex ipso patent textu) reperiri possunt, quam secundum paginam lineamque editionis. In locis biblicis omnes semper nostros codices afferimus, exceptis iis, qui locum requisitum omittunt. Textus allatus ortho- graphiam illius sequitur codicis, cuius primo loco ponitur siglum. Discrimina orthographica, phonologica necnon minutiora grammatica negliguntur, lexicalia autem semper respiciuntur; sequuntur exempla: и бъзаконици: Ѹко не бъти имъ ѿното Ps 103, 35 Sin Lob Par Pog Bon, sed Ѹко приде гоđа ея ѡ ѿра J 16, 21 Zogr Mar (година Sav Ostr). Si quis ergo codex non affertur (in secundo exemplo As), locum requisitum in eo non legi intelligas. Si quod evangeliarium vel apostolarium aliquam pericopen bis vel aliquoties ponit, codicis siglum adnotatiuncula *bis*, *ter* etc. sequitur, velut Zogr Mar As *bis* Sav Ostr *bis*. Si locus quidam in ipso textu aliunde accipitur, velut in sanctorum Vitis e Novo Testamento aut in ipso Novo Testa- mento e Testamento Vetere (siquidem hoc nos non praeteriit), locus originalis uncis inclusus seriem antecedit siglorum. Si, e contra, similis quidam locus alibi etiam legitur, seriem monumentorum compendium sim. (q. e. similiter) sequitur: съ бъзаконицима причътенъ бъс(тъ) мета ѿното Mt 15, 28 (Is 53, 12) Zogr Mar As Sav Ostr (sim. L 22, 37 Zogr Mar). — Locis, qui e textibus ex alia lingua in palaeoslo- venicam versis hauriuntur, proxime accedit vocis titularis parallela lingua arche- typi et formâ dato contextui propriâ allata. Rarissime tantum talis parallela omittitur, ubi plane sit superflua atque inutilis (v. g. καὶ repetitum post unum- quodque coniunctionis и exemplum). Parce diffusior contextus originalis com- memoratur (interdum cum graeco etiam latinus), utpote cum obscura vel mutila- ta sententiae interpretatio palaeoslovenica agitur et ipse textus slavicus allatus, tali praesidio non fultus, difficilis esset intellectu.

*De locorum citatorum orthographia.* In documentis citandis eadem atque ipsa monumenta servamus scribendi rationem. Omnes litterae a scribis quondam adhibitae iure suo gaudent et conservantur (velut *i*, *ı*, *ѣ*, *w*, *ѫ*...), etiam si spe- ciales sint (*ѧ*, *ѭ*...) vel si speciali munere fungantur (glagoliticum *ѩ* = *e*, russico- slavonicum *ѧ* = 'a etc.). Scripturae glagoliticae cyrillicis characteribus translitteratio e tabella synoptica (pag. LXXIX) elucet. Notae arithmeticæ (cifrae)

...

..

Documentorum  
ordoQui monumenta ci-  
tenturTextuum concor-  
dantia

sim.

Parallelæ origina-  
les in locis citatisDocumentorum  
orthographia

Translitteratio

<sup>4</sup> Qui citationis modus indicationem secundum editiones eo praecellit, quod, si futuris temporibus nova alicuius monumenti oritura sit editio, quae aliam praebeat paginationem, lector etiam tunc sine ullo damno lexico nostro fruetur.

non transnumerantur, sed translitterantur, quod est: litteras glagoliticas numerorum vice fungentes litteris cyrillicis secundum valorem earum phonologicum, non arithmeticum, substituimus, e. g. pro glag. ꙗ (72) ponitur ꙗ, non forte ꙗ, quod cyrillicarum litterarum valorem numericum sequeretur. Haec regula etiam tum servatur, si textus editor aliam est secutus, velut Vajs, qui glagoliticas numerorum litteras suis locis intactas (non transcriptas) relinquebat vel Sever'janov, qui transnumerabat. Litteras maiusculas et initiales numquam scribimus, sive antiquo scribae sive textus editori debeantur.

**Apices** Apices diacriticos illos admittimus, quibus in lemmatum capitibus sumus usi, titulum quidem (-) et arcum palatalizantem (ѣ...); praeterea specialibus in casibus etiam alii accedunt, dum modo peculiari et distinctiva quadam praediti sint functione (v. g. russico-slavonicum жъ = ѡ); alii apices supra lineam pendentes omittuntur accentibus illis, quibus Folia Kijevensia abundant, et sero russico-slavonico ѽ non exceptis. Variae elapsorum sonorum ier substitutiones (' ' ') ad unicum simplicem reducuntur apostrophum (''). Interpunctionem antiquam manuscriptorum retinemus ad puncti vero signum comminutam (·). Signa densa et compacta, ut :: : —, quae musico etiam munere interdum forte fungebantur, imitari numquam studemus. Veterem interpunctionem tum solum et raro praetermittimus, cum non tantum ad sententiae claritatem augendam nihil proficere, sed, e contra, eius structuram obscurare lectoremque a proba notione abducere videtur. Si autem ex editione excerptsimus, quae nostris temporibus recepta utebatur interpunctione (v. g. Kaļužniackii editio Apostoli Christinopolitani), novam hanc interpunctionem adhibemus. Antiqua scribendi compendia omnia solvimus, servatis tantum ipsius vocis titularis compendiis. Haec adaptatio vix aequa ac coniectura tractatur: litterae suppletae uncis acutis clauduntur (v. g. є<KA>Тъ). Abbreviatura solutio monumenti sequitur dialectum; e. g. in textibus croatico-glagoliticis scribimus х<ръ>с<т>к, in russico-slavonicis autem х<ръ>с<тъ>к. Creberrimam ligaturam Ѡ dividimus ut wт. Locos deperditos (v. g. in foliorum marginibus) vel ita corrosos, ut legi nequeant, coniecturis explevimus, quae uncis rotundis clauduntur. Scribarum autem errores non emendamus, sed adiuncto vocabulo (sic!) lectoris animum ad hanc rem advertimus, e. g. на розъко (sic!) тѣн(а) Prag 1b 10. Litterae, syllabae, voces omittendae uncis clauduntur angulatis, velut нрѹс[ск]ѣти Prag 1a 24. Unci ergo sequentibus funguntur numeribus: acutis <> scribendi compendiorum supplementa clauduntur, angulatis [ ] athetes collocantur, rotundis () coniecturae atque adnotationes mandantur.

**Interpunctiones**

**Scribendi compendia**

**⟨ ⟩ [ ] ( )**

Hasce autem regulas in aliquot codicibus sequi vix possumus, ubi enim ipsi editores proprio modo orthographiam commutavere et compendia tacite solvere, velut Miklošič in Šišatovacensis Apostoli aut Daničić in codicis Hvaliani apocalypseos, ex parte etiam Kaļužniacki in Apostoli Christinopolitani editionibus (solvunt compendia, Miklošič et Daničić ponunt ѿ pro ѿ, ѿ pro Ѡ etc.). Talibus in casibus editionum sequimur morem.

*Phonologia* textuum intacta manet; soni ier deperditi vel „vocalizati“ numquam restituuntur neque vocales olim nasales ad pristinum umquam rediguntur statum etc.

**De vocibus synonymis.** In fine lemmatum nota ср. (confer) poni solet, ср. quae ad synonymice affines voces, si maioris sint ponderis, relegat, e. g. ꙗѣдти.... ср. нарицати, анигслъ.... ср. архангелъ, ардамлъ.... ср. ардамокъ (et, vice versa, ардамокъ.... ср. ардамлъ) et sim. Ne lector exspectet has relegationes completas fore. Nihilominus censemus melius esse tanta et talia dare, quae pos-

simus, quam lacunas timentes hoc utile corollarium plene abicere. Ceterum indices graeco-palaeoslovenicus et latino-palaeoslovenicus et palaeotiidisco-palaeoslovenicus, quibus lexicon nostrum in fine ornabitur, synonymorum conspectum non mediocriter augebunt. — De his indicibus et de similibus lexici supplementis necnon de evolutione, quam labor progrediens sibi forsan reclamaverit, in libri epilogo nos pauca dicturos esse speramus.

*Versio auctoris*

*F. V. Mareš*